



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vniversalis Historiæ Ecclesiasticæ Medvlla

Pareus, Daniel

Francofurti, 1633

Papæ Romani A Bonifacio Tertio, vsque ad Leonem Tertium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64973)

& Arabes, ob suæ religionis propagationem, passim Christianos afflixerunt. In Saxonia etiam Widekindus sæuit in Christianæ professionis doctores.

PAPÆ ROMANI A BONIFACIO
Tertio, vsque ad Leonem
Tertium.

Bonifacius III. patria Romanus, electus est Anno Christi 607. Inter Romanos autem & Constantinopolitanos Episcopos de Principatu erat contentio, quæ multis annis durauerat. Nam Constantinopolitana Ecclesia sese primam omnium assererat, itidem faciebat Romana. Cum autem Bonifacius agnosceret, non posse Romanam Ecclesiam summa illa dignitate potiri, sine Imperatoris consensu, & videret Phocam Constantinopoleos patriarchæ esse iniquiorem, propter reprehensum scelus aduersus Mauritium perpetratum; sese insinuauit in Phocæ parricidæ amicitiam, & imaginem eius Romanam missam honorifice excepit, & assentando, ac cædem eius probando effecit, vt Romana Ecclesia caput omnium aliarum à parricida constitueretur. Annuente igitur Phoca, Romana Ecclesia Pontificatus & Papatus nomen accepit, cum plenaria potestate conuocandi & dimittendi Synodos, confirmandi & abolendi ea, quæ in Synodis essent decreta. Non diu autem Bonifacius in isto fastigio sedit, sed mense nono, morbo correptus, interiit, anno Christi 608.

Boni-

Bonifacius IV. in magno pretio habuit vitam monasticam, conuertit Pantheon in templum omnium Sanctorum.

Sublato Bonifacio, Pontificalis sedes mensibus septem, diebus 25. stetit vacua; propterea quod multis simul ad hoc fastigium honorum aspirantibus, non poterat conueniri de electione. Tandem re diu multumq; deliberata, cecidit fors in Theodatum, quem alii Deus dedit nuncuparunt, anno Christi 615. sedit is annos tres.

Bonifacius V. scripsit aliquot epistolas in Angliam, quarum Beda meminit. Sedit annos 5. Obiit anno Domini 623.

Honorius, natione Campanus, Monothelitarum hæresi correptus est. Eiusdem tempore Mahometus sua falsa doctrina & aperta vi Ecclesias Dei turbauit.

Seuerinus, vel Seuerus, ab Isacio, Italiae exarcho, in Pontificatu confirmatus est. Tunc enim temporis cleri & populi electio nihil valebat, nisi confirmatio Imperatoris accederet.

Iohannes IV. accedens ad Pontificatum turbulento tempore, cum Saraceni passim in Histria & Dalmatia sæuirent, omnibusque direptis homines quoq; abducerent captiuos, multa millia Christianorum numerato lytro redemit. Monothelitarum hæresin, collecta Synodo prouinciali, annuente Heraclio, vna cum authoribus & fautoribus anathematizauit. Obiit anno Domini 638

Theodorus, natione Græcus, filius Theodori Episcopi Hierosolymitani, Pontificatum
L iniens,

iniens, scripsit ad Rhotarium Longobardorum Regem, monens, vt ab Ariana hæresi desisteret, sed frustra. Monuit & Paulum Constantinopolitanum, Monothelitarum patronum, vt ad fidem rectam rediret. Sedit annos sex.

Martinus Primus, iussu Constantis Imperatoris Monothelitæ, lingua manuque truncatus, in exilio defunctus est, Anno DOMINI 659.

Martino abducto, cum de eius morte diu nihil certi constaret Romæ, vacuit sedes mensibus 14. & subrogatus est postea Eugenius Primus, patriæ Romanus, qui sedit annos 2. menses 9.

Vitalianus, author musicorum organorum in templis, sedit annos 14.

Adeodatus Romanus ex monachatu ad culmen Pontificium conscendit. Commendatur ab humanitate, mansuetudine, & benignitate erga pauperes.

Donus, patriæ Romanus, sedit annos 2. menses 5. Mortuus est peste in vrbe grassante.

Agatho, natione Siculus, rogatus à Constantino Pogonato Imp. ad sextam Synodum Constantinopolitanam misit legatos, qui suo nomine confessionem exhibuerunt, in qua tum ex factis literis, tum ex Patrum scriptis, Monothelitarum hæresin refutat.

Leo II. Græcæ & Latinæ linguæ fuit solide peritus, vt patet ex actis Synodicis sextæ Constantin-

stantinopolitanæ, quæ ex Græco in Latinum vertit.

Benedictus II. commendatur ab eruditione, humanitate, beneficentia, & ornatu templorum.

Iohannes Quintus, natione Syrus, patria Antiochenus, scripsit libellum de pallii dignitate.

Mortuo Iohanne, in diuersas partes populus fuit distractus. Aliqui enim Petrum Archiepiscopum, cæteri cum exercitu Theodorum presbyterum voluerunt. Tandem in Cononem incidit electio, cui tribuitur doctrina, pietas, modestia, & candor.

Mortuo Cononi successit Sergius I. patria Antiochenus, non tamen sine graui contentione. Balæus dicit, hunc Sergium cœlibatum & casti pudoris decus tam sancte custodisse, vt aliquando natus sit, qui illum compellarit patrem. Mortuus est anno Domini 701.

Iohannes VI. natione Græcus, refertur inter martyres, sed à quo peremptus sit, non constat.

Iohannes VII. natione Græcus, vir eruditus & eloquens, pontificatum adiit anno Domini 704.

Sifinnius I. natione Syrus, post magnam cum Dioscoro contentionem, pontificiam dignitatem rapuit; & chiragra ac podagra siue ex Venere, siue ex vino, seu veneno, (vt quidam opinantur) correptus, diem obiit, cum tantum dies 20. præfuisset.

Constantinus Primus, natione Syrus, Latine & Græce eruditus, sedit annos 7. Huius pedes Iustinianus II. Imperator osculatus esse dicitur.

Gregorius Secundus, natione Syrus, ad Pontificatum accessit, anno Domini 714. In templis & monasteriis ædificandis, reparandis, & exornandis, adeo occupatus fuit, uti potius architectum, quam Pontificem egisse videatur. Imaginum & statuarum cultum, & adorationem mortuus defendit, earumque impugnatores ad mortem usque persecutus est.

Philippicum quoque & Leonem Imp. Orientis, eo quod Iconolatriam, verbo Deo damnatam, prohiberent, Exarchatu Italiae excussit. Cum Francis fœdus iniit, atque occasionem contra patriam suam illis obtulit, ut Romane Urbis, & Romani Imperii potestatem tandem consequerentur. Obiit anno Domini 731. Leone & Constantino imperantibus.

Gregorius Tertius, imagines sanctorum auro atque argento ornauit, easque coli præcepit. Scripsisse etiam dicitur Imperatori Copronymo, ut à comminendis imaginibus desisteret.

Zacharias Primus, natione Græcus, omnibus erroribus & idolomaniis, quæ quidem tum in Ecclesiam Dei inundauerant, non tantum fuit imbutus, sed etiam eas strenue defendit, & propagauit. Childericum, legitimum Franciæ Regem, Regno priuauit, & in monasterium coniecit, subditos à iuramento absoluit, & Pipinum

num Childerico substituit, ut aduersus Imperatorem sibi vires compararet. Rachiso, Longobardorum Regi, Carolomano principi, & Childerto persuasit, ut attonderentur, & monachi fierent. Idem Papa Ecclesiam Orientalem & Occidentalem distraxit.

Stephanus II. ad Pontificatum ascendit, anno Domini 752. Instituit, ut Pontifex humeris hominum portetur; potestatem Reges deponendi, & alios substituendi sibi sumpsit. Passus est, ut Pipinus Francorum Rex, eiusque filius Carolus in terram procumbentes pedes eius occultarentur, stapedes eius apprehenderent, & frenum equi tenerent. Cæsarem exarchatu Ra-uennateni spoliavit.

Paulus Primus, Pontificatum adeptus, ultra 30. epistolas ad Carolum, Carolomannum, & præcipue Pipinum, Reges Franciæ, scripsit, quibus seruiliter adulatur, suam illis constantiam in retinenda amicitia pollicetur, atque hortatur, ut Romanam Ecclesiam defendant & exal- tent. Nuncios Constantinopoli misit, qui Imperatori anathematis censuram minarentur, nisi sanctorum imagines & statuas restitueret. Sed in sua sententia constans Constantinus, contemptis eius execrationibus ac minis usque ad vitæ suæ finem, idolis bellum intulit. Tandem paulus pontifex in templo pauli a stu inflammatus, pinguedine interiit, Anno Domini 767.

Constantinus II. frater Desiderii Regis Longobardorum, armata manu pontifex Romanus

constitutus est, postea in monasterium, tanquam in perpetuum carcerem damnatus, anno Domini 768.

Stephanus III. natione Siculus, a cetera prædecessoris Constantini solenniter abrogauit: Constantinopolitanam Synodum septimam, tanquam hæreticam, execratus est; statuarum cultum in ea reprobatum iterum approbavit; imagines adorandas esse docuit. Desiderium, Longobardorum Regem, regni sceptro priuari, à Cesare Carolo Magno petiit.

Hadrianus I. patria Romanus, non minore diligentia Papale fastigium auxit, quam fecerunt antecessores.

PATRES, QUI A PHOCA
ad Carolum Magnum
floruerunt.

Isidorus, Hispalensis Episcopus, scripsit plurima præclara opuscula Philologica, Historica, & Theologica. Mortuus creditur sub Heraclio.

Beda venerabilis, presbyter in Anglia, scripsit multa, quæ octo tomis comprehenduntur. Obiit anno Domini 734. ætatis suæ 72.

Iohannes Damascenus, æqualis fuit Bedæ, & ut hic Occidentem, ita ille Orientem illustrauit. Scripsit aduersus Leonem Isaurum pro defensione imaginum. Item libros quatuor de Orthodoxa fide, in quibus ipse primus vniuersam theologiam methodo aliqua comprehendere est aggressus.